

d. num. 84. & 85. Cui non obstat, quod dominis etiam invitis à servis acquiratur *l. etiam invitis 32. dict. tit. l. servus 62. de V. O.* cum id contingat mediatè & ex consequenti vi potestatis dominicæ.

(d) Res quæ veniunt in commercium omnes tradi & acquiri possunt, nisi lege aut testamento aut conventionè alienari prohibitæ sint, *l. fin. C. de rebus alien. non alienand.*

(e) Quamquam ad dominii translationem traditione verâ sive fictâ opus sit regulariter, *per l. 20. C. de pactis.* Contingit tamen in quibusdam casibus, ut immediatè transferatur dominium, e, g. in donatione Ecclesiæ facta *l. 23. C. de SS. Ecclesiis*, in societate universorum bonorum *l. 1. §. 1. & l. 2. ff. pro socio*, in donatione mortis causâ *l. 2. de publ. in rem. act.* in legato *l. 64. de furt. in hereditate l. 26. de acquir. hereditate.*

XIX.

Jure quoque naturali acquirimus accessione (a) quæ nihil aliud est quam modus acquirendi ex eo, quod ratione rei nobis accedit.

(a) *per reg. Accessorium, 42. de reg. Jur. in sexto l. in rem 23. §. item quæcumq; 5. de rei vindic.* Eaque est vel simplex vel mixta. Ista rursus est vel naturalis vel artificialis. Naturalis est, quando sine hominum labore intuitu rei nostræ nobis aliquid accedit, quod fit (1) procreatione animalium *§. in peudem fructu 37. Inst. de rer. divis.* Sic jure naturæ illegitimus partus sequitur ventrem & ejus dominium *l. 24. ff. de statu hominum*; Ergo cujus est venter, ejusdem erit partus *l. 5. §. 2. ff. de rei vind.* (2) Alluvione, quando ita latenter flumen detrahit fundo alicujus & alterius adjicit, ut non possit animadverti, quantum quovis temporis momento adjectum sit, ideoque quod sic fundo nostro accedit, *J. G. fit nostrum l. 7. aded §. 1. l. 12. 16. 30. 38. 56. ff. de acq. rer. dom.* (3) Coalitione, quæ est accessio, quâ in sensus incurrit, quantum fundo nostro adjicitur, sicque aut retinet nomen generis & est, quando

par